

*Musicales esse debeant? Remittis nos id discere cupientes 1. ad Physica, 2. ad Arithmetica; 3. ad Geometrica. Quid Hubmeiere? Estne boni disputatoris, auditores suos eò remittere, ubi ipse argumentum nullum suae sententiae confirmandae invenire potuit? Si enim potuisses, certè id pro demonstratione allegasses, & alia contra futilia & falsa argumenta, ut audiemus, omisisses. Ego eò profectus, quo me amandasti, rem longè aliter, ac tu ais, reperio. Ex Physicis enim, Arithmeticiis & Geometricis firmissimè demonstratur septem esse debere voces Musicales. Physicus enim audit in una octava septem discrimina vocum, septem sonos distinctos. Arithmetica ut & Harmonica sectio octavae eosdem septem sonos in suis veris & legitimis proportionibus exhibet. Geometra idem in legitimâ sectione circuli demonstrant. Frustra igitur Hubmeiere nos eò ablegas, ubi tua sententia penitus evertitur. Destitueris ergo, ut video, & demonstrationibus & autoritatibus, cum nemo veterum autorum de Hexachordo unquam quicquam affirmavit.*

*Jam*